

a Rege plurimis uxoriis, de alienigenis intelligi debet; prohibita enim cum illis fuisse conjugia, patet ex 3. Regum 11. ubi sic dicitur: Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredietur ad vestras: certissime enim auertens corda vestra, ut sequamini deos earum. Peccatum ergo Salomonis, non in eo constitit quod plurimas mulieres uxores duxerit, sed quod aliene regionis feminis junctus fuerit, & ab eis depravatus, ac inductus ut coleret deos earum. Unde statim subditur: *His itaque copulatus est Salomon ad devotissimum amorem. Evenerunt illi uxores quasi Regine septingentes, & concubinae trecentae, & auertierunt mulieres cor ejus: cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos, &c.*

72 Quæres secundo, quomodo facta fuerit dispensatio in polygamia cum Judæis: & antiquis Patribus, qui Moysen præcesserunt, an scripto; vel interna solum inspiratione & revelatione.

Respondet, hanc dispensationem factam esse per inspirationem internam, eamque non singulis, sed uni aut alteri ex Patriarchis, puta Noemo, vel Abrahamo. Nam ut recte ait Sanctus Thomas in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. ad 3. *Qualis est lex, talis est dispensatio legis; & quia lex natura non est litteris scripta, sed cordibus impressa; propter hoc non oportuit dispensationem eorum quo ad legem naturam penitus, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri.* Sicut ergo lex monogamiae non fuit scripta, sed primo parenti inspirata, & per eum alijs manifestata; sic etiam conveniens fuit, ut dispensatio in ea lege, non scripto exprimeretur, sed per inspirationem divinam daretur uni vel pluribus ex Patribus, per quos deinde verbe & exemplo posteris manifestaretur. Unde cum Innocentius in cap. *Quædam*, de divortio, ait quod nulli magnum licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, intelligi debet de revelatione immediata, vel mediata.

73 Quæres tertio, an hæc dispensatio pertineat ad solum populum fidelem; ita ut polygamia nunquam Gentilibus licita fuerit?

Respondet Soto, Sanchez, & alii, affirmative, cum enim (inquirent) dispensatio facta non fuerit, nisi ad propagandum populum circumcissionis, non est cur ad Gentilibus ampliata credatur.

Alii tamen respondent negative: Primum quia Abinelech, uxori quam habebat superinducere Saram, & tamen non reprehenditur a Deo, quod duplicem uxorem vellet ducere, sed quod eam que esset uxor alterius vellet accipere. Secundo, quia in terra ubi Jacob quatuor duxit uxores, inculpabilis consuetudo erat plures uxores ducendi, ex quo colligit Augustinus lib. 22. contra Iulianum cap. 47. *Jacob non peccasset nubendo quatuor illis uxoriis; quia (inquit) quando mds erat, crimen non erat.* Uxoribus autem in qua Jacob toties nupsit, non Judæorum, sed Gentium erat. Tertio, quia Esau Gen. 26. & 28. plures etiam uxores simul duxit, neque ob id reprehenditur, neque ullas ex Gentilibus ejus temporis. Demum, quia alias Matrimonium Edith cum Aluero non fuisse verum Matrimonium; licet enim Valthi prius repudiaverit, tamen cum dissolutio Matrimonii per repudium non minus fit contra legem naturæ, atque adeo non minus dispensatione indigeat, quam polygamia; non est cur potius in illa, quam in illa, dicatur cum Gentilibus divinitus dispensatum.

Quod si obijcias, causas dispensationis in polygamia non habuisse locum in Gentilibus.

74 Respondetur hoc falsum esse; nam in primis multiplicatio posteritatis, quam D. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 88. expressit ut causam talis dispensationis, non ad dandum populi fidelis, locum habuit etiam in Gentilibus. Deinde non desuit mysterium in tali dispensatione, siquidem hæc conjunctio plurium uxorum ad unum virum, significare potuit, etiam in Gentilibus, unionem diversorum populorum ad unam Christum.

75 Si inter, & dicas, posito quod conjugia Gentilium cum pluribus uxoriis, fuerint ex divina dispensatione legitima ante adventum Christi, sequi quod vane istam sint legitima, quia lex Christiana nihil immutavit in conjugio Gentilium. Respondetur negando sequelam, quia Christus reduxit omne conjugium sive Christianorum sive Gentilium ad suam primam institutionem: prima autem Matrimonii institutio, polygamiam excludit, ut ex verbis illis Christi Matth. 19. *Non legitis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos &c. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adheret uxori sua, &c. etiam duo in carne una:* colligit Nicolaus I. & D. Hieronymus, quorum verba supra §. 2. retulimus.

76 Quæres quarto, an omnes illa mulieres, quas Sancti Patres tempore legis naturæ, vel scriptæ, dicuntur habuisse uxores, fuerint veræ uxores, vel tantum concubinae?

Ratio dubitandi est primo, quod Scriptura non dicit Abrahamum accepisse Agar uxorem, sed ingressam esse ad ancillam uxoris, & ubique videtur Scriptura recurre Agar appellare uxorem, immo vero Scripturas appellat concubina.

Secundo, si Agar fuisset vera uxor Abrahami, filius illius Ismael fuisset legitimus hæres, præsertim cum esset primogenitus: Scriptura autem dicit, *non erit hæres: filius ancilla cum filio liberæ non ergo erat legitima uxor Agar.*

77 Dicendum tamen est, omnes illas mulieres quas habuerunt Sancti viri, tempore legis naturæ, vel scriptæ, fuisse veras illorum uxores. Tum quia Scriptura Gen. 16. dicit Saram dedisse Agar ancillam suam uxorem viro suo. Tum etiam quia D. Paulus ad Galat. 4. interpretatur magnum mysterium fuisse in duabus illis mulieribus quas habuit Abraham, & in duobus filiis, quia nimirum, sicut Ismael filius ancilla significabat Judæos, filios Synagoge, Isaac filius liberæ significabat Christianos, filios Ecclesie Catholice: ita necesse est, ut Agar ancilla significaverit Synagagam, & Sera liberâ significaverit Ecclesiam: Synagoga autem non fuit Deo copulata per adulterium, sed per verum Matrimonium: propterea, ut idem Paulus interpretatur, donec Synagoga mortua fuerit, Christus non duxit aliam uxorem, id est aliam Ecclesiam. Ergo Agar non fuit adultera, sed vera uxor Abrahami. Ad hoc valde durum videtur de SS. illis Patribus dicere vel cogitare, quod cum illis mulieribus adulterium frequenter commiserint; quod dicendum esset, si eas pro veris uxoriis non habuissent. Unde

Ad primum argumentum in contrarium respondeo, Scripturam Gen. 16. Agar appellare uxorem; sed quia non erat uxor eadem dignitate qua erat Sara, domina illius, Scriptura cum loquitur de Agar, differentie causa; abstinere a nomine uxoris, & vocat ancillam. Nec obest quod illam interdum appellerit concubinam; uxores enim in Scriptura aliquando appellantur concubine, ut constat Gen. 23. & sine, si spectes vim nominis, cum a concubendo concubina dicitur, & uxor concubatur, vere concubina dici potest. Unde Cetera vera fuit uxor Abrahami, ut legitimus in eodem loco, & tamen ibidem paulo inferior concubina appellatur. Adnotavit hoc S. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 34.

79 Ad secundum dico, non omnes filios qui erant suscepti ex legitimo Matrimonio fuisse hæredes, neque apud Judæos, neque apud Romanos. Nam aliqui uxor ducuntur non tantum ad generandos filios, sed etiam ad gubernandam familiam, & ad communionem hereditatis, quæ uxor vocabatur mater familias; aliquando vero vocabatur uxor solum ad suscipiendos liberos, non ad gubernandam familiam; aut ad jus hereditatis, quæ vocabatur matrona, quasi mater, sed non mater familias; ut scribit Gellius lib. 18. cap. 6. Unde propterea Ismael non fuit hæres, quamvis esset primogenitus, quia non erat filius matris-laucillæ, sed matrone.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio ut Sacramento est.

Ad questionem 40. Supplementi.

Considerato Matrimonio, ut contractus civilis est, & in officium naturæ, consequens est ut ipsum, prout auctoritate Christi ad esse, & dignitatem Sacramenti elevatum est, & contempleretur, & de ejus existentia, essentia, causis, & proprietatibus, aliisque ad ipsum spectantibus, differamus.

ARTICULUS I.

Utrum Matrimonium sit vere, & proprie Sacramentum, consensus gratiam?

78 Nequam doctrina Evangelica prædicaretur, nulla gens erat, que abhorruisset a Matrimonio tamquam a re detestabili, sed post exortum Evangelium, quia Christus magnopere commendavit castitatem, & continentiam, cogitavit extirpare, quidam inter Christianos adeo severti, ut nihil interesset putarint inter Matrimonium & fornicationem: tantum abest, ut existimarent illud esse Sacramentum: quemadmodum Paulus vaticinatur in epistola ad Timotheum cap. 4. Immo viventibus adhuc Apostolis, nonnulli Jos jam hujus secte hæreticos fuisse, constat ex Clemente lib. 4. instit. c. 4. Unus ex antiquissimis eorum fuit Marcion, teste D. Hieron. lib. 1. adversus Jovinianum. Tactus quoque antiquissimus Iustinus Discipulus, nuptias damnavit, auctore Epiphano hæresi 46. & Augustino in libro ad Quodvultdeum cap. 25. ubi etiam scribit, Encratistas, & Adamitas, seu Adamianos, in eodem fuisse errore.

Nuptias

Nuptias tamen esse licitas & bonas de fide certum est; Deus enim illas instituit in Paradiso terrestri inter Adamum & Evam, ut colligitur ex verbis Christi Matth. 19. & ipse Christus in Cana Galilee illis interfuit, ubique primum miraculorum suorum paravit. Unde Augustinus Tract. 9. in Joann. *Quod Dominus invitatus veniens ad nuptias, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias; futuri enim erant de quibus ait Apostolus prohibentes nubere, & dicentes quod mala essent nuptia.* Et infra: *Per hoc Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur Sacramentum nuptiarum.* Ad hoc quod Apostolus 1. ad Cor. 7. ait: *Iti autem qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Et infra: *Si accepit uxorem, non peccabit, & si nupsit virgo, non peccavit.* Et ad Hebræos cap. 13. *Honorable concubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Quibus verbis Matrimonium & licitum & sanctum esse aperte testatur. Unde in Synodo Gangrensi can. 1. sic dicitur: *Si quis viuperas nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam deserbat, aut culpabilem abstinet, velus qua in regnum Dei intrare non possit, anathematizabitur.*

80 Dices primo: Quod secundum indulgentiam duntaxat conceditur, non secundum imperium, malum est; siquidem indulgentia culpam supponit, quæ condonatur: Sed Apostolus 1. ad Corinth. 7. Matrimonium concedit secundum indulgentiam duntaxat, non secundum imperium; Ergo Matrimonium non est bonum.

Respondet negando Minorem; nam quando Apostolus Matrimoniale concubium, secundum indulgentiam tantum concedit, loquitur de conjugali concubitu qui fit secundum incontinentiam, & ad sedandam concupiscentiam, non vero de illo qui fit sola causa procreandi prolem; primus enim est peccatum saltem veniale, unde indiget venia; alter vero culpabilis non est, sed bonus & honestus. Unde Augustinus lib. de bono conjugali cap. 7. *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; & concupiscentie vero satidæ, sed tamen cum conjugio, propter fidem thori, veniale habet culpam.* Et de nuptiis & concupiscentia cap. 14. *Ubi (inquit) venia danda est, aliquid esse culpe nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentio concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges dum se continent, debitum ab alterutro carnis expolcent, non voluntate propagandis, sed libidine voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam.* Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptie, quia & illud quod non pertinet ad se, ignoscit faciant propter se. Quibus verbis Sanctus Doctor solutionem nostram discrete approbavit & explicavit.

Dices secundo: Quod non potest esse absque libidine, malum est: Sed nuptiale commercium non potest esse absque libidine: Ergo malum est, subindeque & ipsum Matrimonium.

Respondet distinguendo Minorem: non potest esse absque libidine, dominante, nego: serviente, concedo. Solutio est etiam D. Augustini cap. 12. libri laudati de nuptiis & concupiscentia, ubi hæc habet: *Quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum julle redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plaga quidem pruritus in adulteriorum, & fornicationum, & quorumlibet stuprorum, atque immunditatum læditatibus regnat, in concubiorum vero necessitatibus servit. Ibi de domino talis turpido damnatur, hic de pedissequo talis honestas reverendatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obsecantis peccantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor.* Et cap. 17. *In nuptiis tantum bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum... carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali concubio subseqentes bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.*

Dices tertio: Peccatum originale ex nuptiali commercio velut ex fonte derivatur: Sed fons originalis peccati malus est: Ergo & nuptiale commercium, & per consequens ipsum Matrimonium, malum est.

Respondet distinguendo Majorem: derivatur ex nuptiali commercio, quatenus actus conjugalis est, nego Majorem: quatenus est a concupiscentia, & fit mediante semine, primordialiter ab Adamo descendente, concedo Majorem. Solutio est D. Augustini lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 24. ubi hæc habet: *Natos non ex bono, quo bone sunt nuptie, sed ex malo concupiscentia, quo bene quidem utuntur nuptie, de quo tamen erubescunt & nuptie, reos diaboli parvulos tenet.* His præmissis, resolvendum est, utrum Matrimonium in nova lege vere & proprie habeat rationem Sacramenti.

Partem negantem tenent Lutherani & Calviniste, qui non modo expresse negant, Matrimonium conferre gratiam, sed dicunt illud non magis esse Sacramentum, quam sit agricultura, constra, furtoria, & similia. Durandum etiam in 4. distinct. 26. quest. 3. negavit rationem Sacramenti ullo modo Matrimonio convenire: sed cum apud Catholicos ob sententiam illam male audiret, in posteriori editione illam aliquo modo temperavit, & dixit (teste Capreolo in 4. distinct. 26. quest. unica artic. 3.) Matrimonium esse quidem Sacramentum, eo modo quo Sacramentum sumitur pro signo rei sacræ, nempe quatenus est signum conjunctionis inter Christum & Ecclesiam: sed non esse Sacramentum proprie dictum, & univoce cum aliis novæ legis Sacramentis conveniens, quia non confert gratiam, sicut alia novæ legis Sacramenta. Ut hic error retellatur, & veritas Catholica stabilatur & defendatur, fit

§. I.

Matrimonium vere & proprie rationem Sacramenti habere, breviter ostenditur.

81 Matrimonium esse improprie saltem Sacramentum, 4 id est alicujus rei sacræ significativum, ita certum & manifestum videtur, ut vix probatione egeat: tum ob celebre testimonium Apostoli ad Ephes. 5. Matrimonium appellantis *magnum Sacramentum*, eo quod fit representativum conjunctionis Christi cum Ecclesia; tum ob varia Sanctorum Patrum testimonia, infra referenda, a quibus etiam Matrimonium Sacramentum appellatur, quod saltem de alicujus rei sacræ signo intelligendum est.

Nec valet quod ad prædictum Apostoli testimonium respondent Sectarii, nempe non Matrimonium, sed conjunctionem Christi cum Ecclesia vocari ab Apostolo Sacramentum magnum, sive arcabum, nomenque proinde Sacramenti sumi ibi non pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacræ & arcana. Non valet, inquam, nam cum Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia: pronomen hoc referri debet ad id quod proxime præcesserat: nihil autem præcesserat de conjunctione Christi cum Ecclesia, sed tantum de Matrimonio viri & mulieris, videlicet: Propter hoc relinquit homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una: Ergo &c.*

Confirmatur: Intentum Apostoli erat suadere viris ut diligerent uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam. Atqui ad hoc nihil facit, sed impertinenter omnino se habet, quod conjunctio Christi cum Ecclesia fit magnum Sacramentum, bene tamen quod Matrimonium viri cum muliere sit Sacramentum, siquidem illius conjunctionis, quia ex hoc sequitur viros debere imitari Christum, diligendo nimirum uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam: Ergo Apostolus non conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed ipsum Matrimonium *magnum Sacramentum* appellat, eo quod fit representativum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Unde in Græco sic habetur, *ἡς Χριστὸς τῆς Εκκλησίας*, id est in Christum & in Ecclesiam, quatenus in illos representandos tendit. Solum ergo difficultas est, an Matrimonium vere & proprie sit Sacramentum, seu signum practicum gratiæ sanctificantis, & gratiam conferat, sicut alia novæ legis Sacramenta. Pro cujus resolutione

Dico: Matrimonium esse vere & proprie Sacramentum, seu signum practicum & efficax gratiæ sanctificantis.

Conclusio est certa de fide, & definita primum in Florentino, in decreto Eugenio, ubi Matrimonium ponit inter septem Ecclesie Sacramenta, gratiam ita significantia, ut illam quoque continent, & recipientibus conferant, quæque in eo dicit antecessere Sacramenta veteris legis. Deinde in Tridentino sess. 24. c. 1. ubi sic dicitur: *Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus concubiis per Christum gratia præstat; merito inter novæ legis Sacramenta annoverandum, SS. Patres nostri, Concilia, & universali Ecclesie tradidit semper docuerunt.* Et can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam, anathematis sit.* Demum Concilium Senonense sub Clemente VII. anno 1528. celebratum, cap. 39. hæc habet: *Sicut cum Matrimonium a Deo verum omnium conditor in Paradiso, & in statu innocentie institutum fuerit, sitque, velut Apostolo, Sacramentum, proinde cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, utpote in quo, sicut & in reliquis Sacramentis, gratia conferatur.* Quibus verbis non solum docet Matrimonium, & reliqua novæ legis Sacramenta, conferre gratiam, sed etiam verba illa Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est*, de Sacramento strictè & proprie sumpto interpretatur. In quo etiam sensu Tridentinum, capite supra citato, eadem Apostoli verba intelligere



atelligere videtur, ut patet ex verbis istis que ante supra adducta ibidem habet: Gratiam vero, que naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem conservaret, conjungitque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor acque perfectior, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

6. Ex his liquet, falsum esse quod ajunt Vasquez, Amicus, Pontius, & alii, ex eo loco Apostoli non satis convinci, Matrimonium appellatum esse Sacramentum proprie & stricte, in ea significatione, qua dicimus, septem esse nova legis Sacramenta, sed Sacramenti nomen improprie simpliciter, ut significat aliquid abditum & arcanum, seu alicujus rei sacre representativam. Nam praedicta Concilia de Sacramento stricte & proprie sumpto verba illa Apostoli intelligunt, & interpretantur; & ratio etiam huic interpretationi favere videtur: Apostolus enim loquitur de conjunctione Christi cum Ecclesia per caritatem & gratiam, quandoquidem in eodem capite ait: sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, & consequenter loquitur de Sacramento proprio, quod est signum gratie sanctificantis; ut enim Matrimonium habundanter per caritatem significat, necesse est, quod ad hoc fit inter virum & feminam, ut mutuo se diligant per caritatem; & cum caritas non fit sine gratia, sequitur quod sit signum gratie sanctificantis homines.

7. Potest insuper probari conclusio traditione Ecclesie, que colligitur in primis ex eo quod causae matrimoniales semper ad Ecclesie tribunal delatae sunt, quod non fieret, nisi sacra essent; & nisi in Matrimonio, prater rationem contractus naturalis & civilis, esset etiam aliqua ratio sacra. Deinde, quia Matrimonium constanter in Ecclesia tamquam res sacra, sacris ritibus & caeremoniis celebrari consuevit, ut constat ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem, ubi sic ait: Unde sufficit ad reverentiam sollicitudinem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmas oblatio (nempe Missae sacrificium) & obsequium Angelorum hoc est Sacerdotes, sponsas benedicentes. Item Matrimonium non nisi in Ecclesia, & coram Ecclesiasticis personis, celebrari consuevit, quin & ipse Summus Pontifex Matrimonii sollempnitate olim adesse solebat, ut ex Siricio Papa probat Baronius anno Christi 57. num. 50. ita enim hic Pontifex ad Ecclesiam Mediolanensem scribit: Nos sane nuptiarum vota non sperantem accipimus, quibus volumus interfutimus.

8. Eadem traditio constat auctoritate Patrum: Siricius enim Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem c. 4. scribit sacrilegium committi, cum maritus, vivente conjuge, ad aliud conjugium transiret; si autem Matrimonium Sacramentum non esset, nullam sacrilegium committeret, qui relicta sua priori uxore, alteri se conjungeret in matrimonio; sacrilegium enim non est quodcumque peccatum, sed tantum illud quod in materia religionis committitur. Innocentius I. Epist. 9. ad Probam, consultus de Matrimonio, vivente priori conjuge, contracto, respondet: Scitimus, sicut Catholicis suscipimus, illud esse conjugium, quod primitus erat gratia fundatum. Ecce quo pacto sanctissimus hic Pontifex Matrimonium asserit in gratia fundari. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo c. 7. Cognoscimus veluti patrem custodemque conjugii esse Deum, qui non patitur alienum thorum polliui; quod qui fecerit, quia peccat in Deum, quibus gratiam solvit, Sacramenti caelestis amicitiae consortium. Leo Papa Epist. 92. que ad Rusticum asseritur, ut prater sexum conjunctionem, haberet in se Christi & Ecclesie Sacramentum; indeque inferit, mulierem in qua nuptiale mysterium non fuit, ad Matrimonium non pertinere. Lucius III. in c. Ad abolendum, de hereticis, per petui anathematis vinculo innodasse se dicit eos, qui de baptismo, vel de confessione peccatorum, vel de Matrimonio, & aliis Ecclesie Sacramentis, aliter sentire non metuant quam Ecclesia docet. Ubi Matrimonium numerat cum Eucharistia, & aliis Ecclesie Sacramentis, & signis efficacibus gratia a Christo institutis. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joann. cap. 22. assignans rationem, cur Christus ad nuptias Cana Galilee iverit, sic ait: Ut nuptiarum nostrae principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certe, qui totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam preparare, & aditum illorum ad hanc vitam, & auctoritate miraculi, & presentia sua sanctum facere. Preparavit autem Christus gratiam filiis nascituris, conferendo illam in ipso conjugio parentibus, ut eos pie & religiose educarent.

9. Denique, uti Vasquez, Amicus, & alii ex Recentioribus, existimant, ex nullo Augustini testimonio sufficienter colligi, Matrimonium esse vere & proprie Sacramentum, id tamen S. Doctor non obfcure significavit lib. 1.

de nuptiis cap. 10. & lib. de bono conjugali cap. 24. ubi comparat Matrimonium cum Baptismo & Ordine, qui sunt vere & proprie Sacramenta. Non disceat tamen, aliud testimonium, quod ex cap. 18. ejusdem libri asseri solet, ubi ait quod in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam sanctitas utri, parum urgere; quia ibi Augustinus per sanctitatem Sacramenti nihil aliud intelligit, quam Matrimonium indissolubilitatem, qua Christianorum Matrimonium infidelium conjugii praestat, ut ipsemet aperte declarat cap. 24. ubi ait, talem Sacramenti sanctitatem esse, uxorem a viro non discedere.

Ceterum, quod non solum Latinae, sed etiam Graecae Ecclesie traditione habeamus, Matrimonium esse vere & proprie Sacramentum, constat ex censura confessionis Augustinae Lutheranae, quam Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus, nomine suo, & reliquorum Graecae Praesulum, edidit anno 1576. in ea enim c. 7. Matrimonium, divinum esse Sacramentum affirmat, atque unum ex illis septem, qua Christus & Apostoli Ecclesiae tradiderunt. Ubi etiam citat ad idem probandum celebre illud Apostoli ad Ephes. 5. testimonium: Sacramentum hoc magnum est, &c.

Non desunt etiam congruentia, qua id suadeant: cum enim in usu Matrimonii inflammetur concupiscentia, & absorbeat ratio, concupiscentia fuit institui aliquod Sacramentum, quod concupiscentiam in illo actu temperaret. Item fit adigentes filios spirituales, peculiarem gratiam Christus contulit Sacerdotibus nova legis, quam Deus non contulerat Sacerdotibus legis antiquae; cur permissum negabimus collatam conjugibus ad filios carnales gignendos, pieque educandos; & ad alia onera Matrimonii & officii sustinenda & exercenda convenienter? Denique, cum Christus Marth. 19. abrogato repudio, Matrimonium reddiderit indissolubile, & monogamum, ut ab initio erat, congruum fuit ut ei gratiam adjunderet ad superandas difficultates, qua ex omnimoda indissolubilitate, & perpetua monogamia nascerentur; alioquin si Matrimonii Christianorum talis deesset gratia, longo intolerabilis esset Matrimonii jugum in lege Evangelica, quam in lege Moisaica; inquit enim ad compescendos effrenatos uxoris mores; licium erat per libellum repudii illam dimittere. Adde quod copula conjugalitatis continet immunditiam quamdam & indecentiam in Sacerdote, qui filium Virginis, & ipsam virginem, atque omnis puritatis fontem, quotidie debet manibus attingere. Unde Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum numero 21. expendens verba illa Abimelec Sacerdotis ad Davidem: Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? ut scilicet permitteretur edere de panibus propositionis, subdit: Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxorum cubilibus confurgentes edere non poterant.

Porro gratiam illam Sacramentalem, quam Christus Matrimonio in lege Evangelica adjunxit, ipsum ad esse supernaturale Sacramenti elevando, expressisse videtur Apostolus 1. ad Timoth. 2. ubi de muliere loquens, ait: Salubatur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione & sanctificatione, cum sobrietate, sive temperantia conjugali. His enim verbis recenset Apostolus quatuor bona, qua in Christiano conjugio accipit mulier, & quibus conjuges Christiani, ut convenienter auxiliis, maniantur, contra quatuor mala, qua contractus matrimonialis secum advehit: videlicet, fidem, contra adulterium; dilectionem, contra odium, & rixas inter conjuges omni solitas; sanctificationem, contra immunditiam & turpitudinem, ex membrorum rebellionem, & ardore concupiscentiae procedentem; sobrietatem, contra intemperantiam. In quibus donis permanendum ait, ut in ipsa Matrimonii celebratione acceptis.

Hoc Sacramentum, licet in ratione signi praedicti gratia; omnium infanum sit, tamen ut signum speculativum, & sacramentum rerum symbolum, cetera omnia antecedit, significat enim triplicem unionem sacramentalissimam, nimirum Dei cum anima, quam sibi per fidem & caritatem desponit; Christi cum Ecclesia, quam suo sanguine mundatam, & detersis maculis, gloriosam sibi sponsam efficit; & Verbi divini cum natura humana, quam sibi per unionem hypostaticam indissolubili foedere copulavit. Unde Divus Thomas ad Ephes. 5. lect. 10. ad illa verba Apostoli, Sacramentum hoc magnum est, sic ait: Notandum est hic quod quatuor Sacramenta dicuntur magna: scilicet Baptismus, ratione effectus, quia detet culpam; & aperit januam paradisi. Confirmatio, ratione ministerii, quia solum a Pontificibus, & non ab aliis confertur. Eucharistia, ratione continentiae, quia totum Christum continet. Item Matrimonium, ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi & Ecclesiae.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: Matrimonium inter primos parentes, alioquin sub lege veteri, & nunc etiam inter infideles, est verum Matrimonium, & signum duplicis conjunctionis inter Christum & Ecclesiam, tum per naturam in Incarnatione, tum per gratiam in sanctificatione; neque tamen inter illos est Sacramentum proprie dictum.

dictum: Ergo nec inter Christianos. Unde D. Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia differtens de Ecclesiastica Sacramentis, nullam facit mentionem matrimonii. Ex D. Hieronymus in libro adversus Jovinianum, matrimonium valde deprimat, quod tamen non ageret, si Sacramentum esse censere.

13. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequens, matrimonium enim inter Christianos hoc habet privilegium supra matrimonium legis naturae & Moisaicae, ut non sit tantum contractus civilis, aut Sacramentum late & improprie sumptum, sed etiam stricte & proprie, & quod ita representet conjunctionem inter Christum & Ecclesiam, ut simul ejus participationem per gratiam sanctificantem exhibeat. Unde Tridentinum supra relatam: Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubis per Christum gratia praestet, merito inter nova legis Sacramenta numerandum, SS. Patres, Concilia, & universalis Ecclesia traditio semper docuerunt. Ideo vero D. Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, Ecclesiae Sacramenta recensens, istius non meminit, quia cum differeret tantum de Ecclesiastica Hierarchia, ratio ejus instituti postulabat, ut de illis tantum Sacramentis ageret, quae requirunt sacras actiones per Hierarchas seu Principes Ecclesiae exercendas. D. autem Hieronymus, licet disputans contra Jovinianum, qui matrimonium virginum aequabat, refert illius incommoda, reverenter tamen de ipso loquitur.

14. Obijcies secundo: Unum Sacramentum non pugnat cum alio: Sed Matrimonium pugnat cum Sacerdotio, cum Ecclesia Sacerdotes arceat a matrimonio: Ergo matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo matrimonium non pugnat absolute cum Sacerdotio, cum in Ecclesia Graeca conjugati in Presbyteros ordinantur, sed ratione status quem inducit, minus bene cum eo convenire. Unde in Ecclesia Latina Sacerdotes non accedunt a matrimonio, propter rationem Sacramenti, sed ob rationem status conjugalitatis, magnum impedimentum functionibus Sacerdotis afferentis; debent enim Sacerdotes toti vacare Deo: Qui autem cum uxore est (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 7.) sollicitus est qua sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divitiis est. Adde quod copula conjugalitatis continet immunditiam quamdam & indecentiam in Sacerdote, qui filium Virginis, & ipsam virginem, atque omnis puritatis fontem, quotidie debet manibus attingere. Unde Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum numero 21. expendens verba illa Abimelec Sacerdotis ad Davidem: Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? ut scilicet permitteretur edere de panibus propositionis, subdit: Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxorum cubilibus confurgentes edere non poterant.

15. Obijcies tertio. Copula carnalis est pars matrimonii, neque sine illa matrimonium subsistere potest: Sed copula carnalis gratiam conferre nequit; tum quia talis actus exercetur interdum cum peccato veniali, tum etiam, quia, ut dicitur can. Connubia 39. q. 2. non datur presentia sancti Spiritus ei qui officia generationis obsequitur: Ergo matrimonium non confert gratiam, subindeque non est vere & proprie Sacramentum nova legis.

16. Respondeo negando Majorem, matrimonium enim perficitur essentialiter mutuo conjugum consensu, sufficienter expresso per verba de presenti, aut quodvis aliud signum; quare copula carnalis non est necessario pars matrimonii, vel aliquid illi requisitum ad illud, ut sine ipso verum matrimonium esse nequeat. Unde Ambrosius de instit. virginis cap. 6. Deferatio virginum non facit conjugium, sed patitur conjugium. Et Augustinus lib. 23. contra Faustum cap. 8. ait inter B. Virginem & S. Joseph verum fuisse conjugium: non concubitus, sed affectus; non commixtione corporum, sed copulatione; quod est charitatis animorum. Et lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. dicit: Hoc exemplo magis influatur fidelibus conjugatis, etiam servata post consensu continentia, posse permanere, & caritative conjugium, non permixtione corporis solum, sed castitate mentis affectu. Gratia ergo conjugalitatis regulariter non datur in ipso actu conjugalitatis, sed in concubio, quod actum conjugalem, ut causa suam effectum, praecedat. Dixi, regulariter, quia nonnumquam copula carnalis potest esse pars Sacramenti, & signi exterioris locum subire, ut quando sponsalibus succedit copula, affectu maritali facta; tunc enim illa sufficienter signi locum habet, potestque matrimonium perficere, ubi nondum recepta est Tridentini constitutio de clandestinis matrimoniis. Unde in tali casu, per actum conjugalem datur gratia Sacramentalis, quod nemini abstrudum aut paradoxum videri debet: nam si possint conjugium in actu conjugalitatis esse operantis gratiam mereri (quando nimirum adhibent omnia quae ad merendum per talem actum necessaria sunt, ut docet S. Thomas hic q. 41. art. 4. & colligitur ex Augustino lib. 4. in Julianum cap. 3. in fine, ubi dicit: Bonum beatificum esse padicitiam conjugalem, quando vir utitur conjugi carne, Theol. Genet. Tom. V.

non ad libidinem explendam, sed ad sobolem ob Deum gloriam propagandam) cur non & virtute Sacramenti, ex opere operato gratiam in copula conjugalitatis, quando per illam primo contrahitur & perficitur matrimonium, consequi poterunt? Nec refert quod interdum ille actus exerceatur cum peccato veniali, quia potuit Christus actum peccaminosum affluere ut instrumentum suae passionis ad gratiam Sacramenti conferendam, ut de facto assumit in Sacramento baptismi vel penitentiae, cum Sacerdos ex mala intentione infantem baptizat, vel penitentem absolvit. Non obest etiam quod dicitur can. Connubia, ex Origene desumpto, homil. 6. in Numeros, ibi enim Origines non asserit, sed cum dubitatione opinari se ait, Spiritum Sanctum non adesse sua praesentia in copula carnali, hoc est auxilio gratiae specialis, quam dicit ad hoc opus non esse necessariam, cum ad illud sola vis humana sufficiat.

Obijcies quarto. Pro matrimonio datur pecunia: Sed hoc absque Simoniae labe fieri non potest, si matrimonium esset vere & proprie Sacramentum, conferens gratiam: Ergo matrimonium non habet vere & proprie rationem Sacramenti.

Respondeo negando sequelam Minoris: nam, ut recte ait S. Thomas 2. 2. quaest. 100. art. 2. matrimonium non solum est Sacramentum, sed etiam contractus civilis: licet autem non possit pro Sacramento, praesertim tali, pecunia accipi vel dari, bene tamen pro contractu civili, ad sustentanda onera matrimonii.

Obijcies quinto: Si matrimonium sit Sacramentum, erit quid melius & excellentius virginitate, utpote quae non est Sacramentum: Sed hoc repugnat Apostolo 1. ad Corinth. 7. Ergo, &c.

Respondeo primo, negando sequelam Majoris, quod enim hoc vel illud sit Sacramentum, non est rei nobilitate, sed ex divina institutione dependet; unde licet martyrium v. g. sit nobilissimum Penitentiae, vel Extrema-unctione, non tamen est Sacramentum.

Respondeo secundo, distinguendo Majorem: matrimonium erit quid melius virginitate, in ratione Sacramenti, concedo Majorem: quoad statum conjugalem, nego Majorem. Status enim virginum ex genere suo perfectior est statu conjugatorum, quia est status perfectiorum; status vero conjugalitatis est contra est status imperfectorum, qui prostentur se esse infirmos, & non posse continere; ob quam etiam rationem institui debuit Sacramentum potius pro illis quam pro illis; quandoquidem Sacramenta Christi, nihil aliud sunt, quam medicina infirmorum, & remedia contra vulnera peccati originalis.

Obijcies sexto: Concilium Florentinum tria dicit reperiri in omnibus Sacramentis, videlicet in quod est Sacramentum tantum, quod est res tantum, & quod est simul res & Sacramentum: Sed haec tria non reperitur in matrimonio: Ergo non est vere & proprie Sacramentum.

Respondeo, concessio Majori, negando Minorem; nam in primis Sacramentum tantum in matrimonio est expressio externa & sensibilis interni consensus; quia in quolibet Sacramento id est Sacramentum tantum, quod est signum sensibile per se, & ratione ejus omnia alia sentiantur & expressio autem sensibilis consensus interioris est hujusmodi, per se liquidem sentitur, & ratione ejus habet conjunctionem conjugum, & omnia alia quae sunt in matrimonio, quod sit sensibilia. Deinde in matrimonio res Sacramenti duplex est ex S. Thom. in 4. dist. 26. quaest. 2. art. 1. ad 5. una causata & significata, nempe gratia ipsa Sacramentalis; altera significata, sed res causata, videlicet unio Christi cum Ecclesia, sed res causata, videlicet factus, sed tantum significat, quam matrimonium non causat, sed vinculum illud, quod sequitur ex contractu, est in matrimonio res & Sacramentum simul, quia est simul signum & signatum, significatur enim per contractum, & simul ut per ipsum expressa, significat gratiam Sacramentalem quae datur conjugibus, & unionem Christi cum Ecclesia & sua humanitate.

Dices, in casu quo infidelis conjugatus fiat fidelis, & approbet sum matrimonium secundum leges Ecclesiae, matrimonium illud incipit esse Sacramentum: & tamen conjunctio maritalis non est in eo res & Sacramentum simul, utpote quae non causatur per ipsum Sacramentum, sed supponitur ante ipsum causata per contractum Matrimoniale; in ipsa infidelitate initium.

Respondeo, maritalem conjunctionem, etiam in casu allato, esse rem & Sacramentum simul. Ad probationem autem in contrarium dico, vinculum illud, ut est quidem aliquid naturale, sive ut est effectus causae naturalis, nimirum contractus nondum elevatus ad esse supernaturale Sacramenti, praecedere ipsum Sacramentum; non vero, ut est aliquid supernaturale, sive ut est effectus contractus elevati a Deo ad rationem Sacramenti, secundum quam rationem praesertim habet quod sit res & Sacramentum simul.

Ex dictis colligitur, matrimonium, nec in statu innocentiae, nec in lege naturae, vel scripta, fuisse vere & proprie



ARTICULUS II.

An Matrimonium inter absentes per procuratorem vel per litteras contrahatur, sit Sacramentum?

§. I.

Quibusdam promissa, referuntur sententia.

proprie Sacramentum, sed id duntaxat habere in lege Evangelica. Patet hoc corollarium ex Florentino & Tridentino supra citatis, in quibus definitur, Matrimonium esse a Christo in lege Evangelica cum reliquis Sacramentis institutum, & veteribus connubiis gratia praestare. Verum quondam hujus Sacramenti institutio a Christo facta fuerit, omnino incertum est, & circa hoc varia sunt Auctorum placita. Quidam dicunt, matrimonium elevatum fuisse ad rationem Sacramenti in primo Incarnationis momento: Tunc enim (inquit Gregorius homil. 36. in Evangel.) Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humana natura conjunxit; quando Deum ante saecula, fieri voluit hominem in fine saeculorum. Alii, cum sua presentia, & primo quod in Mundo edidit miraculo, nuptias in Cana Galilaeae honestavit: tunc enim (inquit) Christus convertendo aquam in vinum, designavit Matrimonium, quod haecenas velut aqua, in officium tantum naturae descendit, deinceps in Sacramentum collatum gratiae, per vinum significata, evehendum. Alii, cum lege repudi abrogata, ad primam ejus indissolubilitatem & unitatem matrimonium revocavit Matth. 19. Congruum enim fuit, inquit, ut ex tunc gratia ei adungeretur, ad superandas difficultates, quae ex omnimoda indissolubilitate, & perpetua monogamia nascerentur. Alii demum, post resurrectionem, intra quadraginta illos dies, quibus frequenter Discipulos suos alloquebatur de regno Dei, hoc est de statu militantis Ecclesiae, quae ex Gregorio homil. 12. in Evang. regnum Dei nuncupatur, instruendo illos de omnibus & singulis Sacramentis conscientis & ministrandis.

21 Querens, an in nova lege, non solum prima, sed etiam secunda nuptiae, veram habeant rationem Sacramenti? Ratio dubitandi est primo, quia secunda nuptiae non significant singularem & unicam conjunctionem Christi & Ecclesiae, Christus enim habuit unicam Ecclesiam, Ecclesia unicam Christum.

Secundo, quia mos fuit semper Ecclesiae, ut cum prima nuptiae benediceretur, secunda careret benedictione. Ut constat ex Concilio Neocaesariensi c. 7. ubi Sacerdotes non tantum prohibentur benedicere secundas nuptias, sed etiam illis interere; & ex Augustino serm. 243. ubi sic ait: Si usque ad nuptias virgo non fuerit, benedictionem cum sponsa sua accipere non merebitur. Quibus verbis significat non consuevisse dari benedictionem illis qui non essent virgines, cum contrahebant matrimonium.

His tamen non obstantibus dicendum est, secundas nuptias veram Sacramenti rationem habere: nam Christus in lege nova omnem contractum connubiale, validum, ac legitimum humanis consensum, ad dignitatem, & rationem Sacramenti exivit: At secunda nuptiae sunt contractus connubialis validus, ac legitimus, & legitimus humanis consensibus, cum nulla lege humana prohibita sint: Ergo veram rationem Sacramenti obtinent. Ad hoc quod non minus congruum aut necesse fuit ut gratia secundis nuptiis adungeretur a Christo, ad superandas difficultates quae ex omnimoda indissolubilitate & perpetua monogamia nascuntur, quam primis: Ergo sicut ob hanc rationem prima habent rationem Sacramenti, ut constat ex supra dictis, ita & secundae. Unde

Ad primam rationem dubitandi dicendum est, significationem Sacramenti matrimonii non in eo consistere, ut significetur una uxor spiritualis Christi, id est unica Ecclesia; nam Christus non tantum habuit pro sponsa nostram Ecclesiam, sed etiam veterem Synagoga; sed in eo quod Christus uno & eodem tempore non habuit nisi unicam sponsam. Quapropter D. Paulus ex matrimonio spirituali Christi & Ecclesiae, probat virum non debere uxorem adhuc viventem dimittere, sed si mortua sit uxor, posse aliam ducere, quemadmodum Christus, dum vixit Synagoga, non conjunxit sibi aliam Ecclesiam matrimonio: postquam autem Synagoga mortua est, accepit Ecclesiam; sed uno tempore non habuit nisi unam.

Ad secundam respondeo, in secundis nuptiis, quamvis sint vera Sacramenta, duabus de causis non dari benedictionem: prima est, quia illae sunt aliquod signum incontinentiae. Secunda quia illi qui contrahunt secundas nuptias, in primis jam benedictionem acceperunt: fuit autem semper Ecclesiae consuetudo, ut res semel benedicta & consecrata, non iterum benediceretur & consecraretur. Hanc rationem reddit Concilium Lateranense sub Alex. III. titulo de secundis nuptiis cap. 1. his verbis: Si vir vel mulier ad bigamiam jam transierit, non debent benedici a sacerdote, quia cum una vice sint benedicti, eorum benedictio non debet iterari.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

Dico primo: Matrimonium inter absentes per procuratores contrahitur, est Sacramentum novae legis.

25 Probatur primo conclusio ratione fundamentali. Matrimonium validum in ratione contractus naturalis & civilis, est inter fideles Sacramentum novae legis: Sed Matrimonium inter absentes per procuratores contrahitur, est validum in ratione contractus naturalis & civilis: Ergo est Sacramentum novae legis. Minor patet ex dictis parag. praecedenti. Major vero probatur ex eo quod Christus Dominus instituendo Sacramentum Matrimonii, non mutavit naturam contractus Matrimonialis, sed duntaxat illum ad esse supernaturale Sacramenti novae legis elevavit: Ergo si Matrimonium inter absentes per procuratores celebratur, sit validum in ratione contractus naturalis & civilis, elevatur a Christo ad esse supernaturale Sacramenti legis gratiae.

26 Respondent Adversarii, Christum non sic Matrimonii Sacramentum instituisse, ut omnia Christianorum Matrimonia, in ratione contractus valida, ad esse supernaturale Sacramenti elevarerit, sed solum illa quae sunt inter eos qui praesentes contrahunt.

27 Sed contra: Contractus Matrimonii in esse naturali & civili sunt ejusdem rationis & speciei, sive fiant inter praesentes, sive inter absentes, per procuratores, aliunde vero non est fundamentum in Scriptura, vel Traditione, ad asserendum quod Christus unum potius quam alium ad esse Sacramenti elevarerit.

28 Dices, quod quamvis ex Scriptura vel Traditione natum ad id asserendum fundamentum habeatur, id tamen colligitur ex Tridentino sess. 24. de reform. cap. 1. ubi videtur exigere praesentiam contrahentium ad rationem Matrimonii; dicit enim quod Parochus debet interrogare virum & feminam; ipsique interrogatis, & consensu eorum intellegit, dicere: Ergo vos conjungo.

29 Verum haec responsio, in quo consistit praecipuum ad-versae sententiae fundamentum, facile confutari potest: cum enim procuratores substituantur loco contrahentium, possunt interrogari a Parocho de consensu eorum, expressisque contrahentium consensibus, dicere potest Parochus cum veritate: Ergo vos conjungo; quia licet illi supra quos proferri debent verba illa, sint physice absentes, sunt tamen moraliter praesentes, quod sufficit ad rationem contractus, & consequenter ad rationem Sacramenti in Matrimonio; cum, ut supra diximus, ratio Sacramenti in Matrimonio non immutet rationem contractus.

30 Probatur secundo conclusio: In Matrimonio per procuratores contracto, est vera materia, & vera forma Sacramenti Matrimonii. Ergo tale Matrimonium est verum Sacramentum. Consequentia patet. Antecedens probatur. Materia & forma Sacramenti matrimonii, sunt expressiones sensibiles consensuum utriusque partis contrahentis, ut infra ostendemus: Sed in matrimonio per procuratores contracto reperiturur ejusmodi expressiones, vero enim contrahentes, non quidem per seipsos, sed per procuratores quibus suas voces commiserunt, exprimitur suus consensus, quando Matrimonium celebratur: Ergo in matrimonio per procuratores contracto, est vera materia & forma Sacramenti matrimonii.

31 Potest insuper suaderi conclusio hoc discursu: Ecclesia permittit ut fideles per procuratores matrimonium contrahant, & hoc modo Reges & Principes illud contrahere solent: Sed si matrimonium per procuratores contrahitur, non est Sacramentum, Ecclesia non permetteret matrimonium ita celebrari; vult enim omnino fideles contrahere Sacramentaliter, ut recipiant gratiam ad opera matrimonii sustinenda necessaria: Ergo matrimonium per procuratores contrahitur, est verum Sacramentum.

32 Confirmatur: Si matrimonium per procuratores contractum, non est Sacramentum, sed contractus pure naturalis, vel civilis, illius iudicium non pertinet ad iudices Ecclesiasticos, sed ad politicos; nam hic contractus solum extrahitur a iudicio Principis vel iudicis saecularis, quia elevatur ad rationem Sacramenti: At causas ad huiusmodi matrimonium pertinentes, semper ad se vocat Ecclesia: Signum ergo est, tale matrimonium non esse contractum pure naturalem vel civilem, sed etiam Sacramentum.

Dico secundo, matrimonium per litteras contrahitur, tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti, validum esse.

33 Prima res patet: quia contractus humani & civiles fieri possunt inter absentes, per litteras, vel per nuntium: Ergo contractus Matrimonialis. Unde I. Mulieres ff. de ritu nuptiarum, sic dicitur: Mulierem absenti per litteras suas, vel nuntium posse nubere placet.

34 Secunda vero pars suadetur, & simul rationi dubitandi supra adductae respondetur: Si enim vir scribat feminam, se non modo sui corporis dominum de presenti ei tradere, sed

ex tunc simul corporis ejus traditionem, cum primum coram Parocho & testibus facta fuerit, acceptare; & mulier viro referibat, se vicissim velle illum in maritum, & corporis ejus traditionem acceptare, statim ac hoc scriptum coram Parocho & testibus lectum fuerit: tunc lectis utriusque conjugis litteris, perficitur matrimonium & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti; in eo enim causa litterae succedunt loco contrahentium, uti & procuratores: Ergo sicut matrimonium inter absentes per procuratores contractum, est validum, non solum in ratione contractus naturalis & civilis, sed etiam in ratione Sacramenti, ita & matrimonium per litteras contractum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: Nullum aliud Sacramentum potest absenti conferri: Ergo neque matrimonium: par enim debet esse illius, aliorumque ratio; idemque est fundamentum necessitatis praesentiae in hoc & in aliis.

Confirmatur: Idcirco non potest Sacramentum poenitentiae conferri absenti per litteras, aut internuntium, quia forma illius, Absolvo te; dirigitur ad praesentem: Atqui non minus ad praesentem dirigitur ista vel aequivalens forma matrimonii, Accipio te in meum: Ergo similiter Sacramentum matrimonii, absenti conferri nequit.

Confirmatur amplius: Parochus assistens matrimonio, 37 profert verba illa: Ergo vos conjungo: Ergo cum in tali positione pronomen vos non minus requirat praesentiam subiectorum, quam pronomen te in forma baptismi & poenitentiae, absens non minus est incapax Sacramenti matrimonii, quam Sacramenti baptismi, vel poenitentiae.

Ad objectionem respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: sicut enim Sacramentum matrimonii differt ab omnibus aliis, quod in illis necessario & essentialiter requiruntur verba proprie dicta, & ore prolata, ex parte formae; matrimonium vero regulariter quidem verbis perficitur, potest tamen alius signis verborum loco celebrari, ut significat Florentinum in decreto Eugenii: ita etiam in eo differt quod possit inter absentes celebrari, quamvis alias nequeat. Ad hoc quod id habet hoc Sacramentum praeter alia peculiare, quod cum habeat pro materia civilem contractum, sequitur, naturam ipsius; unde sicut contractus civilis aequo inter absentes ac inter praesentes, valide inihi potest, ita & Sacramentum matrimonii quod in eo fundatur, non solum a praesentibus, sed etiam absentibus, valide suscipi potest. Unde

Ad primam confirmationem, nego paritatem, nam in 39 Sacramento poenitentiae verba illa: Absolvo te, ore prolata, & directa ad praesentem, sunt essentialia; matrimonio vero sufficienti quocumque signa externa, quibus contrahentes suum consensum invicem significant: possunt autem illum significare per litteras aut per internuntium, aequo ac per nuntus & verba.

Ad secundam dico in primis, verba illa: Ergo vos conjungo, quae Parochus assistens matrimonio profert, non esse formam Sacramenti matrimonii, sicut verba illa: Ergo te baptizo: Ergo te absolvo, sunt forma Sacramenti baptismi & poenitentiae. Secundo negatur consequentia & paritas, quoad verificationem significationis pronominis te & vos; in Sacramento baptismi & poenitentiae ex una parte, & in Sacramento matrimonii ex alia. Disparitas est, quod cum neque baptismus neque poenitentia sit contractus, bene autem Sacramentum matrimonii, baptismus & poenitentia requirunt quod praesentia subiecti, quam exprimit particula te, sit physica; Sacramentum vero matrimonii requirit solum quod sit moralis.

Obijcies secundo: Sacramenta novae legis causant physice gratiam, ut in Tractatu de Sacramentis in communi disput. 3. art. 2. contra Recentiores fuisse ostendimus; Sed matrimonium per procuratores contractum, non potest physice causare gratiam: Ergo non est Sacramentum novae legis. Minor probatur: matrimonium non potest physice causare gratiam, nisi ea in quibus essentialiter consistit, existant physice, vel in seipsis, vel in sua virtute: At ea in quibus essentialiter consistit matrimonium quod per procuratores contrahitur, videlicet expressiones consensuum, non quae sunt in procuratoribus, sed quae sunt in contrahentibus, non existunt amplius physice in se, quando procuratores nomine ipsorum contrahunt, sed transferunt; neque remanent physice in aliqua sua virtute, utpote cum non sit assignabilis talis virtus: Ergo matrimonium quod per procuratores contrahitur, non potest physice causare gratiam.

Respondeo distinguendo Majorem: Sacramenta novae legis causant physice gratiam, quando physice existunt, concedo. Quando existunt solum moraliter, nego, tunc enim sunt causae solum morales gratiae. Rationi enim consentaneum videtur, ut Sacramenta causent gratiam secundum modum essendi quem habent, ita ut illam physice



physice caussent, quando vere & physice existunt; moraliter vero, quando existunt solum moraliter. Unde sicut in Tractatu de Sacramentis in communi disput. 3. art. 2. §. 2. dicebamus, quod licet baptismus cum debita dispositione suscipitur, causet physice gratiam; quando tamen sicte suscipitur, recedente fictione, eam causet solum moraliter; quia nimirum tunc existit solum moraliter, & in divina acceptatione. Ita similiter dicendum est, quod licet Matrimonium ab ipsis conjugibus immediate contractum physice causet gratiam, quia expressiones consensus eorum tunc physice existunt; Matrimonium tamen per procuratores initium, moraliter tantum illam causet; quia tunc expressiones consensus ipsorum contractum, non existunt amplius physice, sed tantum moraliter, in quantum scilicet verba procuratorum substituantur loco verborum & expressionum ipsorum contractum. Neque hac solutio & doctrina officit sententia de causalitate physica Sacramentorum nova legis, quia haec non intelligitur nisi de Sacramento physice existente cum existentia physica sit una ex conditionibus requisitis ad physicam operationem.

43 Objicies tertio. Si Matrimonium inter absentes per procuratores celebratum, esset validum in ratione Sacramenti, id precipue haberet ex eo quod Matrimonium est quidam contractus humanus, & contractus humanus inter absentes per procuratores celebrari potest: Sed haec ratio non valet: Ergo ruit precipuum fundamentum nostrae sententiae. Major constat esse supra dictis, Minor probatur. Licet absolutio penitentialis sit judicialis, quia tamen insuper Sacramentalis est, non potest in absentem proficere, ut in Tractatu de Penitentia disput. 12. art. 4. ostensum est: Ergo similiter, licet Matrimonium sit quidam contractus humanus, & contractus humanus possit fieri per procuratores, & contractus humanus potest fieri etiam Sacramento, non potest ut tale recipi in absentia, & per alium.

44 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, concessio Antecedente, nego consequentiam & pariter. Disparitas est quia licet iudicium externum possit esse inter absentes, eo quod in iudicio fori externi, diversi sint accusator, testis, & reus, nec aliqua dispositio requiritur in reo; secus autem in iudicio fori interni, ubi reus, accusator, & testis est idem, & desideratur reum dispositum esse, ejusque dispositionem a Confessario esse cognitam. Unde absolutio penitentiae, non solum ex ea parte qua Sacramento est, sed etiam ex ea qua iudicium est, repugnat in absentia conferri; at vero Matrimonium id non repugnat quatenus est contractus humanus, nec proinde quatenus est Sacramentum, cum ratio Sacramenti sit accommodata & proportionata naturae contractus in quo fundatur.

45 Dices: Sicut collatio Sacramenti est actio personalis, ita & eius receptio est personalis passio; ut constat in Baptismate, Confirmatione, Eucharistia, Penitentia, Extrema Unctione, & Ordine: Ergo Matrimonium non potest in ratione Sacramenti per procuratores recipi.

46 Respondeo, concessio Antecedente distinguendo Consequens: Ergo Matrimonium non potest in ratione Sacramenti recipi per procuratores, ita ut procurator recipiat Sacramentum, & gratiam Sacramentalem, concedo. Ita ut procurator sit conditio, qua posita, ille qui dedit ei facultatem contrahendi, recipiat Sacramentum & gratiam Sacramentalem, nego.

47 Inhabis: Si procurator sit conditio, qua posita, ille qui cedit ei facultatem contrahendi, recipiat Sacramentum, sequitur quod si procuratores eo tempore contrahant, quo vir & foemina pro quibus contrahunt, dormiunt, dormiendo recipient gratiam, vel peccabunt mortaliter, si sint in mortali, quia Sacramentum in malo statu recipiunt: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud.

48 Respondeo nullum esse absurdum, quod quis dormiens recipiat gratiam, ut patet in eo qui voluntatem habuit suscipiendi baptismum, vel pati martyrium; si enim in somno baptizetur, vel in odium fidei occidatur, dormiendo recipiet gratiam; & si sit in statu peccati, iustificabitur, si priusquam se somno traderet, attritionis actum elegerit, ut communiter docent Theologi. Similiter non est inconveniens dicere, quod contrahentes peccent in somno, si tunc Sacramentum percipiatur, & ipsi omiserint per gratiam se ad illud disponere. Sicut dum quis hora matutina somno se tradit, providens quod sacrum omittet, non solum peccat, cum voluntarie somno se tradit, sed etiam quando urget tempus audiendi missam, esse tunc dormiat, licet enim culpa omissionis imputari eo tempore quo quis dat causam omissioni, complet tamen & pericite non imputatur, nisi eo tempore quo incipit preceptum operandi, & emittitur actus debitus. Vel sicut si quis voluntarie se inebriet, providens quod in ebrietate faciet homicidium, non solum peccat quando dat causam, sed etiam quando de facto occidit, quamvis tunc sit expertus libertatis & usus rationis, quia nimirum talis occisio in sua causa libera & voluntaria est: unde si oc-

cidat Clericum, manet excommunicatus. De quo plura diximus in Tractatu de peccatis disput. 3. art. 4.

Objicies quarto: Matrimonium per procuratores vel per literas contractum, iterum in presentia utriusque conjugis coram Parocho & testibus celebrari solet: At si Matrimonium inter absentes per procuratores vel per literas contractum, esset Sacramentum, non foret opus conjungere postea in facie Ecclesiae sponsores presentes; immo hoc non liceret, cum Sacramento Matrimonii non debeat, neque possit iterari inter eosdem; Ergo Matrimonium inter absentes per procuratores vel per literas celebratum, non est Sacramentum, sed dumtaxat aliquis contractus naturalis & civilis.

Respondeo negando Majorem, nam cum illi qui per procuratores vel per literas Matrimonium contraxerunt iterum se solvant coram Parocho & testibus, non iteratur Matrimonium, sed vel supplentur tantum solemnitates omisse, vel ratum haberi declaratur a conjugibus presentibus, id quod antea per procuratores eorum nomine gestum fuit.

§. IV.

Resolvuntur breviter alia difficultates.

Queres primo, an inter Christianos Matrimonium possit esse validum in ratione contractus naturalis & civilis, non in ratione Sacramenti? V.g. si conjuges Christiani Matrimonium contrahentes, intendant illud solum perficere in ratione contractus naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti, valide illud in ratione contractus naturalis & civilis perficiant? Nam quod tunc Matrimonium non sit validum in ratione Sacramenti, manifestum est, eo quod ad valorem Sacramenti requiritur intentio ministerii, quae desit in tali casu, cum ipsi contrahentes qui intendunt perficere Matrimonium solum in ratione contractus naturalis & civilis, sint ministri Sacramenti Matrimonii, ut articulo sequenti dicemus.

In resolutione hujus difficultatis partem negantem tenent Sanchez, & Coninck, exiit mentes ex institutione Christianos contractus & Sacramenti in Matrimonio ita esse inseparabiles, ut qui intendit unum sine alio, nihil profusus efficiat. Alias (inquit) si nunc posset separari ratio contractus a ratione Sacramenti, eas separata haeret, cum nulla sit lex divina vel humana, quae precipiat Matrimonium esse in ratione Sacramenti celebrandum.

Nihilominus dicendum est, Matrimonium inter Christianos posse esse validum in ratione contractus naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti; non licere tamen Christianis separare rationem contractus a ratione Sacramenti.

Prima pars hujus resolutionis suadetur ex eo quod Christus, cum Matrimonium ad rationem Sacramenti elevavit, non abstrahit ab eo naturalem civilemque obligationem, quam ut contractus naturalis & civilis, ex reciproco contrahentium consensu habentis habuerat, sed reliquit illud in sua natura pristina; solumque illi adjunxit rationem Sacramenti, hoc est vim collativam gratiae conjugis sanctificantis. Sicut dum res alias naturales ad Sacramenti dignitatem evexit, nihil de physica aut morali earum natura abstrahit, sed eas reliquit in pristina sua natura & virtute quam antea habebant; ita ut si contingat Sacramentum ex eis non fieri, nihil de physica vel morali earum entitate aut virtute tollatur vel impediatur. Pariter ergo, si inter Christianos contractus matrimonialis non elevetur ad rationem Sacramenti, ob defectum intentionis contrahentium, qui Matrimonium solum in ratione contractus, non vero in ratione Sacramenti, celebrare intendant, non amittet vim obligandi quam habet in ratione contractus naturalis & civilis. Unde nullo jure canonico aut civili, irritatur Matrimonium a fidelibus initum, sine intentione conciliandi Sacramentum.

Quod vero Christianis non liceat hoc modo inire connubia, & rationem contractus a ratione Sacramenti separare, manifestum est: tum quia supposita Christi institutione, & elevatione Matrimonii in Sacramentum, non potest a fidelibus, absque irreverentia, ratio contractus a ratione Sacramenti separari: tum etiam quia Christiani tenentur more & ritu Christiano contrahere, nec ponere obicem gratiae Sacramentali, quam Christus adjunxit Matrimonio, ut naturalium illam auctorem proficeret, & indissolubilem auctoritatem confirmaret, conjungendo sanctificaret, ut ait Trid. sess. 24. in doctrina de Sacramento Matrimonii.

Queres secundo, non si fidelis cum dispensatione Pontificis nuberet cum infideli non baptizato, tale matrimonium esset Sacramentum, saltem ex parte conjugis fidelis.

Respondeo negative: Sicut enim ut matrimonium sit validum in ratione contractus, requiritur liberum consensum ex parte utriusque conjugis, ita ut sit validum in ratione Sacramenti, exigitur intentio ac ministerium ex parte utriusque, cum ipsi contrahentes sint hujus Sacramenti ministri: Sed infidelis non baptizatus, nequit esse legitimus minister matrimonii in ratione Sacramenti, cum non minus Sacramenti effectus, quam receptio, ad sui validitatem, characterem baptismalem requiratur: Ergo

Ergo matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, nequit esse Sacramentum. Unde Ecclesia non solum prohibuit, sed etiam irritavit matrimonium fidelis cum infideli non baptizato; quia nimirum omnino dedecet Christianos contrahere non Sacramentaliter, seu rationem contractus naturalis & civilis a ratione Sacramenti separare, ut in resolutione superioris quaestii dicebamus.

57 Dices: Infideles non baptizati sunt idonei ministri baptismi: Ergo & matrimonii. Sed negatur consequentia & paritas, quia baptismus cum sit ad salutem necessarius, & prima janua ceterorum Sacramentorum, debuit posse a quocumque valide conferri, non vero alia Sacramenta, quae non sunt tanta necessitatis sicut baptismus. Ex quo inferes, nec valide contrahi posse matrimonium in ratione Sacramenti, cum Catechumena, quia licet habeat fidem & gratiam sanctificantem, caret tamen characterem baptismali.

58 Queres tertio, utrum matrimonium ab infidelibus valide contractum, fiat Sacramentum, quando illi convertuntur ad fidem, & baptizantur; & praesertim si tunc accedat novus consensus, signo aliquo sensibili expressus, cum intentione faciendi quod Christus instituit, & facit Ecclesia?

59 Respondeo negative, quia Sacramentum matrimonii consistit essentialiter in fieri contractus validi inter baptizatos, & liberos ab omni impedimento irritante, sicut baptismus consistit in fieri ablutionis & prolatis verborum, ceteraque omnia Sacramenta, excepta Eucharistia, consistunt in fieri materiae proxima & forma ex quibus constant essentialiter: Sed quando conjuges infideles baptizantur, nulla fit nova actio, quae sit fieri ipsius matrimonii, cum illud supponatur jam factum; nec nova verba, novusque consensus, facere possunt novum matrimonium; quia repetitus consensus non affert novam materiam, nec novam formam, sed ratificat tantum priorem: Ergo tunc matrimonium non accipit rationem Sacramenti.

60 Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Sacramentum matrimonii fundari debet in contractu valido: Sed in casu proposito nullus potest assignari contractus in quo fundatur ratio Sacramenti; non potest enim fundari in contractu antiquo, tum quia illi preterit, tum etiam quia non fuit inter baptizatos; neque in novo, cum enim uterque conjugum dominium sui corporis in alterum perfecte transtulerit, ac re ipsa illud maritali copula tradiderit, non potest circa eadem corpora novus fieri contractus, qui novi Sacramenti sit fundamentum. Sicut si quis tentaret novum contractum venditionis facere circa rem valide alteri venditam ac traditam, nihil efficeret, defectu materiae ad novam venditionem, & emptionem habilitis.

61 Ceterum licet quando infideles conjugati convertuntur ad fidem, & baptizantur, ipsorum Matrimonium non fiat proprie Sacramentum, seu signum praeacticum gratiae sanctificantis, sit tamen Sacramentum large & improprie, tunc enim melius representat conjunctionem Christi cum Ecclesia, tum quia Christus non est copulatus Ecclesiae infideli, ipsaque Ecclesia ipsi per fidem desponsata est, iuxta illud Osee 2. *Sponsabo te mihi in fide*; tum etiam, quia Matrimonium illud firmius efficitur per baptismum, cum non fit tunc amplius exprimitur insolubilitatem matrimonii quae tunc melius exprimitur insolubilitatem matrimonii spiritualis inter Christum & Ecclesiam.

In hoc sensu interpretatur Basiliius Pontius S. Thomam, dum ait in 4. sent. dist. 39. q. unica art. 2. ad 1. matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, sed habita; unde ait quod S. Doctor, Sacramenti nomine, non intellexit Sacramentum stricte sumptum pro signo sensibili conferente gratiam, sed Sacramentum late sumptum, quatenus est mysterium quoddam conjunctionis Christi cum Ecclesia: quam significationem sensit D. Thomas non convenire actu matrimonio, nisi suscepto baptismum.

62 Verum haec interpretatio non videtur legitima, nec ad mentem S. Doctoris, qui loco citato manifeste loquitur de Sacramento proprie, & stricte sumpto, nam sibi hoc argumentum objicit: *Videtur quod inter infideles non possit esse Matrimonium, nam Matrimonium est Sacramentum Ecclesiae: Sed Baptismus est janua Sacramentorum: Ergo infideles qui non sunt baptizati, Matrimonium contrahere non possunt, nec alia Sacramenta suscipere.* Ubi manifeste sermo est de Sacramenti proprie, & stricte sumptis; unde si in solutione loqueretur solum de Sacramento late, & improprie sumpto, argumentum sibi propositum non satisfaceret, sed inequivoco laboraret.

63 Melius ergo respondetur, D. Thomam loco citato solum velle quod Matrimonium infidelium quantum est de se, & ex ratione contractus maritalis, est capax status Sacramentalis, illicumque vere acciperet, si contraherent in fide Ecclesiae jam suscepta per baptismum. Quo sensu dicit: *Matrimonium tale esse aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiae.*

64 Ex dictis in resolutione hujus quaestii colligitur, Matrimonium, Tom. V.

rimonium quoque civiliter tantum a fidelibus contractum, accedente novo consensu, non fieri Sacramentum. Intentio enim sequens contractum prius initum, non potest efficere, ut quod non fuit Sacramentum, incipiat esse tale; praesertim cum ratio Sacramenti (ut supra dicebamus) sit annexa fieri ipsius Matrimonii, non vero facto esse illius. Aliunde vero, quantumcumque conjuges consensum renovent, & verba repetant, non efficiunt novum Matrimonium, sed dumtaxat praecedens ratificant & confirmant: quia (ut supra ostensum est) contractus Matrimonii inter eosdem repeti nequit, defectu materiae ad novum contractum habilis.

ARTICULUS IV.

Quis sit minister hujus Sacramenti?

S. I.

Resolvuntur sententiae, & vera eligitur.

Guilielmus Parisiensis lib. de Sacramentis, tract. de 65 Matrimonio caput 9. quaest. 2. Melchior Cano libro 8. de locis Theologicis cap. 5. & Sylvius ad quaest. 42. supplementi artic. 1. quaest. 1. censent Sacerdotem verba quibus sponso benedicit profertentem, esse ministrum Matrimonii, quatenus Sacramentum est; subindeque Matrimonium sine Sacerdote celebratum, non esse Sacramentum, quamvis contractus civilis esse possit. Catharinus vero opus. de Matrimonio quaest. 2. docet ministrum Matrimonii, quatenus Sacramentum est, esse Deum ipsum, ejus vero formam verba illa: *Propter hoc relinquit homo patrem & matrem, & adherit uxori suae: quae semel a Deo in paradiso prolata, & a Christi confirmata, conjugia continuo sanctificant.* Nec est necesse, inquit, ea ab aliquo ministro proficere, nam sicut lex scripta semper loquitur ad omnes, ita & forma Matrimonii per modum legis a Deo sancita, semper loquitur ad omnes matrimonium contrahentes.

Verum communis ac certa reliquorum Theologorum 66 sententia est, ministrum Matrimonii etiam ut Sacramentum est, esse ipsos contrahentes, non vero Sacerdotem illos benedicentem, subindeque verba illa quae profert: *Ego vos conjungo, &c.* non habere rationem formae, nec ad hujus Sacramenti essentiam pertinere, sed esse tantum aliquod Sacramentale. Ita expresse docet S. Thom. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. ubi sic ait: *Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti: non autem benedictio Sacerdotis, quae est quoddam Sacramentale.* Et quaest. 45. supplementi artic. 5. in corp. & ad 2. docet quod verba Sacerdotis sunt tantum de solemnitate Matrimonii.

Dico igitur, Ministrum Sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes, non vero Sacerdotem ipsos benedicentem, & haec verba: *Ego conjungo vos,* profertentem.

Colligitur ex Florentino in decreto Eugenii, ubi Pontifex docet, hoc Sacramentum solo contractuum consensu perfici: At hoc esset falsum, si ad ipsius validitatem necessarius esset minister a contrahentibus distinctus, cum ex doctrina ejusdem Concilii in eodem decreto, ut Sacramentum perficeretur, tria requirantur, nempe materia, forma, & persona Minister conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, Sacramentum non perficitur: Ergo ad valorem hujus Sacramenti, non requiritur minister a contrahentibus distinctus.

Favet etiam Tridentinum sess. 24. c. 1. de reformatione Matrimonii, affirmans Matrimonium clandestinum, quae fiebat absente Sacerdote, & sine ulla eius verba, fuisse valida quamvis Ecclesia non fecit eam: Sed talia Matrimonium non potuissent esse valida, si Sacerdos sit minister hujus Sacramenti, & verba quae profert, illius forma: Ergo ex Tridentino Sacerdos non est minister Sacramenti Matrimonii, nec verba quae profert benedicendo sponso, habent rationem formae. Unde can. 11. Sacerdotum benedictionem inter caeremonias ab Ecclesia adhiberi solitas recenset.

Confirmatur ex declaratione Cardinalium interpretatorum Concilii Tridentini praefectorum, facta Episcopo Salmantino, in qua expresse dicitur, quod verba Sacerdotis non pertinent ad substantiam Sacramenti Matrimonii. Verba ejus haec sunt: *Non pertinet ad substantiam Matrimonii, ut Parochus aliqua verba profert: ideo valet Matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum, prolata sine tantum a contrahentibus, dummodo Parochus sit praesens, & intelligat id quod agitur, licet dissentiat, & contradicat: adhibitis vero Parochus intelligitur, etiam si ex alia causa principaliter esset vocatus, dummodo sit adhibitus etiam ad illum actum.*

Confirmatur amplius ex praxi Ecclesiae: nam etiam nunc 70 in locis ubi constitutio Tridentini est recepta, quando aliqui contrahunt in facie Ecclesiae, cum occulto impedimento, eo sublato per dispensationem, non est opus ut







a posteriori, esse formam; sicut in numero ultima unitas est forma precedentium, quia per eam determinantur precedentes ad certam numeri speciem. Ita Richardus, & Henricus.

96 Sed haec etiam sententia displicet, materia enim hujus Sacramenti non debet esse vaga, & in contrahentium potestate sic posita, ut fieri possit forma, sed certa & invariabilis: At si consisteret in verbis illis solis quae prior contrahens profert, non esset certa & invariabilis, sed vaga, & in contrahentium potestate esset, ex materia facere formam, & e contra; quandoquidem uterque potest facere quod verba sua, quibus exprimit suum consensum, prius vel non prius proferatur, quam verba alterius: Ergo materia hujus Sacramenti non sunt verba a priori contrahente prolata.

97 Confirmatur: Etiam si accideret quod contrahentes simul tempore verbis aut nutibus suum consensum exprimerent, nihilominus esset verum Sacramentum Matrimonii; & tamen nulla essent verba priora pro materia: Ergo &c.

§. II.

Variorum seu probabiliorum sententiarum declaratur.

98 Quinta igitur, & probabilior sententia docet, eadem verba seu signa conjugum quibus mutuum consensum exprimunt, esse sibi invicem materiam & formam, secundum diversas considerationes, nam quatenus per eas mutuo sua corpora in conjugium sibi invicem tradunt, habent rationem materiae; in quantum vero pro ea corporum traditionem sibi mutuo factam acceptant, habent rationem formae. Hanc sententiam sic explicatam docent ex Thomis Dominicus Soto, & Petrus de Ledesma; ex extraneis vero Suarez, Bellarminus, Sanchez, Conink, & alii.

99 Ratio a priori illius est, quia in contractibus civilibus, traditio ut sensibili signo facta, habet rationem materiae; acceptatio vero verbis expressa, habet rationem formae: Sed Matrimonium in ratione contractus non differt a reliquis contractibus civilibus, neque, ut Sacramentum est, diversim habet materiam aut formam a seipso ut contractus est: Ergo in Matrimonio eadem verba vel signa conjugum, mutuum consensum exprimentia, quatenus sunt traditio, habent rationem materiae; prout vero sunt acceptatio, habent rationem formae. Minor est certa, Major vero sic ostenditur. Illud habet rationem materiae, quod se habet ut determinabile, quod vero est determinativum, habet rationem formae: Sed traditio habet rationem ut determinabile, completurque & perficitur per acceptationem, quae se habet per modum determinantis: Ergo in contractibus civilibus, traditio ut signo sensibili facta, habet rationem materiae; acceptatio vero rationem formae.

100 Dices primo: Non semper traditio, ut quid informe & determinabile, praecedit & inchoat contractum, sed aliquando subsequitur, complet, & perficit illum, ut constat in contractu donationis, in quo potest acceptatio precedere; potest enim quis prius velle habere dono agrum ab aliquo, eumque petere & alter posterius donare, vel promittere, atque ita complere contractum donationis aut stipulationis perfectae, juxta l. 1. §. si quis ff. de verborum obligationibus: Ergo in contractibus civilibus traditio non habet semper rationem materiae.

101 Respondet primo, in contractibus non attendi quid per acciendos, & in uno vel altero casu fiat, sed quid regulariter & per se; & quia regulariter & per se traditio praecedit & inchoat contractum, acceptatio vero subsequitur, determinat, & perficit illum, recte illa ponitur ut materia, haec ut forma contractus.

102 Respondet secundo, quod etiam in eo casu quo acceptatio tempore praecedat traditionem, traditio habet rationem materiae, & acceptatio rationem formae completis, & perficiens contractum: nam licet acceptatio duratione sit prior traditione, causalitate tamen est posterior, quia in instanti quo exprimitur consensus traditionis a donante, acceptatio a donatario prius tempore facta, ut contractum perficiat & compleat, debet per modum actus moraliter perseverantis, ratificare traditionem sibi a donatore factam, & consequenter supponere illam prius natura ut determinabilem, ut recte observavit Amicus.

103 Dices secundo: Ex Florentino in Decreto Eugenii, omnia Sacramenta novae legis tribus perficiuntur, rebus tantum materia, verbis tantum forma, & persona ministri conscientiam Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: Ergo verba seu nutus quibus conjuges mutuum consensum exprimunt, non possunt esse sibi invicem materia & forma in Sacramento Matrimonii.

104 Confirmatur: In quolibet Sacramento materia, forma, & minister realiter debent distingui: Sed si verba seu nutus conjugum sibi mutuo sint materia & forma, tria illa non distinguuntur realiter, consensus enim unius &

eiusdem partis, ut per verba vel nutus expressus, rationem formae & materiae habeat, secundum diversas considerationes; & praeterea cum ipsi conjuges sint ministri hujus Sacramenti, si ipsorum traditio habeat rationem materiae; causa materialis & efficiens coincident in eadem personam, quod videtur absurdum: Ergo &c.

Ad instantiam respondeo, quod quando Florentinum ait, omnia Sacramenta novae legis constare ex rebus & verbis, non ita strictè accipi debent nomina rerum & verborum, ut neque res pro verbis, neque verba pro rebus interdum accipi possint, sed nomine rerum intelligenda sunt ea omnia quae sunt vice earum, id est quae ita adhibentur in Sacramento loco rerum, ut sicut ipse, per alia signa determinentur ad significandum, & similiter nomine verborum intelligi debent omnia quae loco verborum adhiberi solent ad aliquod significandum, ut litterae, & similia, quae rerum significationem determinare solent: cum enim materia & forma in Sacramentis affliguntur per analogiam ad materiam & formam physicam, illud affliguntur ut materia, quodcumque tandem sit, quod imitatur materiam physicam; illud vero habet rationem formae, quod forma physica assimilatur. Sicut ergo in Sacramento penitentiae, quia confessio peccatorum determinat per abolutionem penitentiae, ad significandum remissionem peccatorum, verba penitentis per comparationem ad verba Sacerdotis, appellantur res Sacramenti penitentiae; ita similiter quia in Sacramento Matrimonii, verba unius conjugis quibus suum corpus alteri tradit, determinatur per verba alterius, talem traditionem acceptantis, & e converso, hinc fit quod verba seu nutus quibus conjuges mutuo suum consensum exprimunt, sunt sibi invicem materia & forma, secundum diversos respectus supra explicatos.

Ad confirmationem nego Majorem, licet enim Florentinum dicat, omnia novae legis Sacramenta perici materia, & forma; & intentione ministrum, non tamen asserit tria illa esse necessario realiter distincta, ideoque ad veritatem hujus dicti, distinctio rationis, seu virtualis sufficit. Addo quod, est materia totalis Sacramenti Matrimonii copulata sumpta, & forma item totalis simul sumpta, ad invicem comparata, non distinguantur realiter; si tamen unaqueque materia partialis divisim accipiatur, distinguitur realiter a forma partiali qua perficitur: verba enim conjugis exprimentia traditionem proprii corporis, quae habent rationem materiae, distinguuntur realiter a verbis alterius quibus talem traditionem acceptat, & quae se habent ad modum formae.

Ad illud quod subditur de ministris hujus Sacramenti, dicendum est, nullum esse inconveniens, quod in hoc Sacramento causa materialis, & efficiens coincident in eandem personam, id enim exigit natura contractus, in quo contrahentes seipsos tradunt; ut constat exemplo illius qui se in servum alicui venderet, idem enim simul esset vendens & res vendita, subindeque illius contractus causa efficiens & materialis: Idem cum proportione dicendum est de conjugibus contractum & Sacramentum Matrimonii celebrantibus, habent enim secundum diversos respectus simul rationem causa efficiens & materialis talis contractus & Sacramenti.

DISPUTATIO III.

De Sponsalibus.

Ad quaest. 43. Supplementi.

Cum sponsalia maximam cum Matrimonio connexionem habeant, & sint veluti inchoatio futuri Matrimonii, & dispositio moralis ad illud, merito S. Doct. postquam de Matrimonio in ratione contractus & Sacramenti considerato discessit, agit de sponsalibus; de quibus etiam tractat jus civile toto ff. & cap. de sponsalibus, & Canonico tit. de sponsalibus, in 6. De illis etiam breviter in hac Disputatione differemus, eorumque naturam, obligationem, personarum habilitatem, & causas quibus dissolvuntur, examinabimus.

ARTICULUS I.

Quid sint sponsalia, & quanam ad illorum valorem requirantur?

Sponsalia a spondendo dicta sunt, eo quod mos fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras, ut ait Ulpianus l. 2. ff. de sponsalibus, eaque sponso fiebat olim non ab illa qua in uxorem ducenda erat, sed ab ejus patre, vel tutore, aut alio qui eam daturus erat, qui deinceps sponso dicebatur; nuptura vero, sponsa; & vir puellam ducturus, sponsus appellatur. Hujus consuetudinis seu sponsonis ratio assignatur in jure, can. Distinctio 23. q. 2. ubi dicitur

dicatur hanc esse consuetudinem, ut jam pacta sponse, non statim tradantur, ne scilicet habeat maritus datam, quam non suscipere velit sponsus dilatare. Quod enim quis non diligit, non optat, facile contemnit, ut habetur can. presens 20. quaest. 3.

Porro sponsalium nomen variis rebus accommodari solet. In primis enim interdum contractus Matrimonii, per verba de praesenti, & Matrimonium nondum consummatum, dicitur sponsalia, & ipsi conjuges, qui de praesenti contraxerunt, nondum tamen carnaliter se cognoverunt, appellantur sponsi. Ita sumitur Luc. 2. ubi dicitur Maria fuisse Joseph sponsata uxor, & Matth. 1. Cum esset sponsata mater Jesu Maria Joseph. Et haec acceptio in lingua Gallica familiaris est, ejusque rationem reddidit D. Thom. hic art. 1. ad 6. quia nimirum qui Matrimonium per verba de praesenti contrahit, futurum Matrimonium actum spondet: sicut qui per verba de futuro sponsalia celebrat, ipsum Matrimonium futurum promittit. Secundo munera illa quae a sponso sponse dari solent ad ornatum illius, quae jocalia communiter dicuntur, sponsalia etiam vocari solent. Quo sensu intelligendum est illud 1. Regum 18. Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum praesepia Philistinorum. Eodemque sensu dicitur 1. 1. Cod. si nuptiae ex recepto petantur, sponsalia, hoc est artharum dato nomine, reddi sibi praesepio legum cum spues panna desponsus. Tertio tandem sumitur magis proprie nomen sponsalium pro futuri Matrimonii promissione, in quo sensu deserviuntur sponsalia cap. Nefrates 30. quaest. 5. & l. 1. ff. de sponsalibus, futurarum nuptiarum promissio. Dicitur, futurarum nuptiarum, ut sponsalia distinguantur a Matrimonio, qui contractus est per verba de praesenti expressis: sponsalia autem contrahuntur per verba de futuro; ut, accipiam te in uxorem, accipiam te in virum. Dicitur promissio, quia ad sponsalia non sufficit propositum aut simplex voluntas, cum illa non sufficiat ad indagandam obligationem, sed requiritur necessarium promissio, seu voluntas se obligandi, quae mutua ex parte utriusque contrahentis esse debet. Unde notanter Jurisconsultus usus est voce reponmissio, quae mutuum promissionem importat. Nam sicut in Matrimonio non sufficit consensus unius, sed requiritur mutus ex parte utriusque: Ita nec in sponsalibus, quae Matrimonii inchoatio sunt, sufficit promissio unius, sed utriusque necessaria est: unde si alter solum acceptet promissionem, sed non reponmittat, neuter obligatur vi sponsalium; an vero vi simplicis promissionis obligari possit, infra dicemus.

3 Observandum est autem primo cum D. Thoma hic art. 6. in corp. quod promissio futurarum nuptiarum dupliciter fieri potest, absolute scilicet, vel sub conditione; & rursus absolute quatuor modis. Primo, nuda promissione, ut cum dicitur, accipiam te in meam, & e converso. Secundo, datis arthris sponsalibus, ut jocalibus, pecuniis, & aliis hujusmodi. Tertio annuli subscriptione. Quarto, interveniente juramento. Si autem fiat sub conditione, distinguendum est: quia vel conditio est honesta, ut cum dicitur, accipiam te, si parentibus placeat; & tunc fane conditio, stat promissio; & non fane, non stat: aut est inhonesta; & hoc dupliciter, quia vel est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam, accipiam te, si veneno sterilitatem praesens; & tunc non contrahitur sponsalia: vel non est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam, accipiam te, si furtis meis consentias; & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

4 Advertendum secundo, quod ut promissio Matrimonii sponsalia constituat, verari debet circa personam determinatam, non autem consistere & indeterminatè circa aliquam de pluribus, atque determinate ferri in Matrimonium. Unde si Petrus Joanni habenti decem filias, promitteret se aliquam ex illis daturum, non determinando quam, talis promissio non haberet rationem sponsalium. Item si Petrus diceret Bertha, nunquam ducam aliam praeter te, talis promissio ad sponsalia non sufficeret; quia qui sic promittit, non obligat se determinate ad Matrimonium cum illa incedendum, sed tantum indeterminatè; sensus enim illius propositionis est, vel ducam te, vel nullam aliam; & absolute verificatur, licet promittens nullam omnino ducat.

5 Tertio notandum est, ad valorem sponsalium non sufficere solum promissionem extraneam, utpote quae non est vera promissio, si desit animus promittendi, neque solum internam; quamvis enim Deo, qui cordium scrutator est, possit homo obligari actu interno; homini tamen alteri qui sola externa intuetur, non potest obligari, nisi per modum humanum, subindeque nisi signo aliquo externo ejus promissio exprimat. Ad sponsalia tamen non est necessarium, quod promissio vel consensus exprimat per verba vel alia signa determinata; sed sufficiunt haec aut illa quaecumque apta sunt exprimere alteri sufficienter consensum, & volitionem internam. Hinc est quod in quibusdam locis ad sponsalia sufficit

missio annuli in digitum sponse, vel appensio coram ad collum ejus, vel traditio artharum, vel portatio manus sponse, postulante sponso; & ipsa taciturnitas sponsi & sponse, quando nimirum parentes, aut tutores, vel curatores, qui sunt loco parentum, contrahunt sponsalia pro filiis impuberibus, aut etiam puberibus ipsis praesentibus, & non contradicentibus.

Haec sunt certa, & indubitata fere apud omnes Theologos, & Jurisperitos, sed circa valorem sponsalium alique sunt difficultates, & controversiae breviter hic discutiendae, & resolvendae. Prima est, an sponsalia clandestina, id est quae non fiunt coram Parocho & testibus, post Concilium Tridentinum sint valida? Prohibita enim per Tridentinum Matrimonii clandestinis, prohibita quoque videtur clandestina sponsalia juxta axioma illud: Prohibito Matrimonio, cessat prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur, sumptum ex lege Oratio, ff. de sponsalibus.

Dicendum tamen est, sponsalia clandestina, etiam post Tridentinum, esse valida. Si enim esset invalida, maxime quia irritarentur decreto Tridentini sess. 24. de reformatione Matrimonii, clandestina Matrimonii irritantur: Sed tali decreto non irritantur: Ergo post Tridentinum valida sunt. Major patet: Minor vero probatur, ex eo quod id declaratum fuit expresse, teste Ledesma, a Congregatione Cardinalium, Tridentini Interpretum, in hac verba: Decretum Concilii Tridentini, quo statuit quod Matrimonii contractus fiant solemniter coram Parocho, & testibus, habet tantum locum in Matrimonio per verba de praesenti, non autem in sponsalibus per verba de futuro. Et rursus: Decretum hoc annullat solum contractus Matrimoniales, per verba de praesenti clandestine factos: Sponsalia vero per verba de futuro, relinquit in terminis juris communis.

Ratio etiam id suadet: quidquid enim in nova lege expressum non habetur, veteris juris dispositioni relinquitur, ut dicunt Imperatores Theodosius & Valentinianus l. Praecipimus, cap. de appell. Sed in novo Tridentini decreto, contra clandestina Matrimonii edito, nulla mentio fit de sponsalibus: Ergo ea censentur dispositioni juris veteris relicta, unde cum jure veteri sponsalia clandestina valida sint, etiam post Trid. valida erunt.

Ado quod non eadem militat ratio in sponsalibus, ac in Matrimonio clandestino; ratio enim quae Tridentinum movit ad prohibenda Matrimonium clandestinum, fuit, ut vitaretur adulterium: quod ex eis sequebatur; solebant enim plerique, spreto priori Matrimonio, clam inito, de quo proinde Ecclesiae non constabat, publicum aliud contrahere, quod tamen adulterium erat: hoc autem locum non habet in sponsalibus, quandoquidem Matrimonium contractum, spreto prioribus sponsalibus, validum est.

Ad illud vero axioma, Prohibito Matrimonio, cessat prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur, dicendum est illud debere intelligi, quando prohibetur Matrimonium absolute, sive omnibus modis, cum enim tunc nullo modo contrahi possit Matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitae, ac proinde nulla. At nova Tridentini lege non inhibetur inter aliquas personas Matrimonium absolute, sed ut clandestine duntaxat contrahendum, subindeque ex hac nova lege, nulla in sponsalia prohibitio derivatur, cum nulla sit inter clandestinitatem Matrimonii & sponsalium connexio; optime enim possunt sponsalia clandestine contrahi, etiam si Matrimonium debeat publice celebrari.

Secunda difficultas est, an Matrimonium clandestinum Tridentini lege irritum, habeat vim sponsalium; Id enim affirmant Henricus, Conink, Layman, & alii ex Recentioribus; quia, inquit, talis contractus ex natura sua virtualiter habet vim sponsalium, & non fuit irritum a Tridentino, nisi quatenus habet rationem Matrimonii, propter graviam incommoda quae ex Matrimonio clandestino sequebantur: quae non habent locum in sponsalibus, ut in resolutione superioris quaestio dicebamus.

Oppositum tamen tenendum censet, propter duas declarationes Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quae habentur in ejus editione Lugdunensi anni 1640. ad sess. 24. cap. 1. decreti de reformatione Matrimonii. Prior ita loquitur: Matrimonium contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote, de ejus licentia, post Concilium Tridentinum, non solum est nullum, sed nec vim habet sponsalium: adeo ut sic contrahentes, ad denuo contrahendum compelli non possint. Posterior vero paulo post ibidem expressa, sic habet: Matrimonium contractum non servata forma Concilii Tridentini (licet contrahentes certam inter se de contrahendo Matrimonio fidem dederint, & postea coram testibus sine Parocho de praesenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos subservata) non in sponsalia de futuro resolvitur, ita ut cogi possent contrahere servata forma Concilii. Ex quibus declarationibus ruit fundamentum contrariae sententiae, asserentis Tridentinum sui decreto, clandestinum Matrimonium in ratione duntaxat Matrimonii, non